



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1637**

Declaratio eiusdem Exercitij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)



QVARTVM, Prospicere quo pacto munera & bona omnia celitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio terminis quibusdam certis circumscripta, quæ ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen à sole, & ex fonte aqua, derivantur. Addenda superest reflexio prædicta in mei circumspeditionem. Colloquium etiam in fine fiet, terminandum cum Pater noster.

### Declaratio huius Exercitij.

#### NOTA PRIMA.

**I**Nitio huius contemplationis duæ ponuntur Notæ: quarum prima desumpta est ex Prouerbio Hispanico, Amor in rebus, non verbis consistit; & ex eo quod dicit Apostolus 1. Ioan. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque*  
linguâ,



linguâ, sed opere & veritate. Amor ille in Deum, qui in solis consistit verbis, est ille qui in solis cærimoniis externis hæret; de quo dicitur Psal. 77. *Et dilexerunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo.* non enim rectâ illud in Deum dirigebant. De talibus loquitur ipse Saluator Lucæ 6. *Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Vnde patet, quòd verba, quantumuis bona, bonorum operum defectu à Deo tamquam ficta reiiciantur.

Amor, qui in verbis consistit, est etiam is qui in affectibus voluntatis hæret; & ille vel est fictus, vel debilis, cui nempe ad executionem vires defunt: ille verò qui in operibus est, efficax est ad opera, & se ad perfectam mandatorum Dei obseruantiam & eius consilia amplectenda extendit, & beneplacito diuinæ voluntatis, quantum in hac vitâ fieri potest, se conformat. Illam Saluator nobis regulam præscribit, quâ

R in



in amoris huius notitiam veniamus. *Si diligitis me, inquit, mandata mea servate. & Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Ioan. 14. Et ille amor fortis & operator vocatur. Psal. 118. *Iuravi & statui custodire iudicia iustitiae tuae.* & Psalm. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

## NOTA SECUNDA.

**H**Ac Notâ declaratur in quo operum genere amor hic consistat; in eo nempe, quòd amicus amicum bonorum suorum participem faciat. Quare sibi nemo persuadeat, quòd gratis amorem hunc sit consecuturus; sed magno ei constet necesse est, etsi id fieret cum omnium bonorum suorum dispendio. Ideò qui in hoc amore seriò se exercere desiderat, ad bonorum omnium, honoris etiam & commoditatum suarum iacturam, si necesse foret, quò amato servire & placere possit, sibi subeundam paratus sit; &



& fanitatem, scientiam & talenta omnia lubens etiam in eius obsequium & beneplacitum impendat. Quæ omnia optimè respondent secundæ Septimane, ubi agitur de imitandâ IESV CHRISTI paupertate & humilitate, non tantùm affectu & voluntate, sed effectu etiam & re ipsâ; non tantùm maiori, sed & pari Dei gloriâ & obsequioposito, quo magis se ei similem efficiat.

### PRAELVDIVM PRIMVM.

**I**N primo Præludio Deum mihi præsentem imaginabor vultu benigno & amico, Angelis & Sanctis suis circumdatum, qui pro me apud eum intercedant: ista enim loci compositio fidem auget, spem roborat, & ad amorem, qui huius Exercitij finis est, excitat.

### PRAELVDIVM SECVNDVM.

**I**N hoc secundo Præludio docemur, in quid toto hoc Exercitio, seu con-



templatione, ad amorem excitandum, collineare debeamus ; & quomodo cum duabus illis Notis, quæ eius fundamentum sunt, conueniat. Nam si amor in operibus consistit, & quidem in operibus reciprocis & bonorum communicatione inter eos qui se inuicem amant, videndum est quomodo Deus homines amauerit, & quâ eos munificentia bonorum suorum omnium participes fecerit, vt ad similem erga Deum liberalitatem se homines excitent, amoremque illum Dei erga homines, non solum vt excitamentum & amoris fomitem, sed etiam tamquam normam & exemplum eius quo in Deum vicissim ferri debent, sibi proponant ; iuxta illud 1. Ioan. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. & : Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Et hic finis est huius Exercitij, & fructus quem ex eo colligere debemus : quod ipsum in hoc secundo Præudio à Deo petimus, vt nempe  
 magni-



magnitudinem beneficiorum eius perspiciamus. Et hæc est notitia liberalitatis quâ Deus erga nos vsus fuit, & beneficiorum quæ à liberali eius manu accepimus, quò eorum magnitudinem perspicientes, ad amorem & obsequium diuinæ Maiestatis nos impendamus: hoc est, vt ego, tantam in me Dei munificentiam considerans, disquiram quæ meæ vicissim sint partes; & an non iustum sit & æquum, vt totum ego me diuinæ Maiestatis obsequio amorique consecrem. Et in eâ gratitudine diuiniq̃ue amoris imitatione fundantur quatuor amoris erga Deum gradus, in quatuor Puncta partiti.

### PUNCTVM PRIMVM.

**I**N hoc primo Puncto **NOTA PRIMO**, quòd materia Meditationis in hoc primo amoris gradu sunt beneficia diuina; quæ rationes valdè prægnantes & copiosas, quibus hic in no-

R 3

bis